



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCCXXII. Markgraf Ludwig genehmigt die Herstellung der durch
Ueberschwemmung der Elbe verwüsteten Stadt Jericho und regulirt die
Gerichtsverfassung derselben und des Landes Jericho, am 13. Mai 1336.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCXXI. Heinrich Edler von Barby gelobt dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg gegen jedermann, namentlich gegen den Erzbischof von Magdeburg, mit seinem Schlosse Wiesenburg Beistand zu leisten, am 12. Mai 1336.

Notum sit omnibus, ad quos peruenerit presens scriptum, Quod nos heinricus, dei gratia nobilis de barbey, magnifico principi ac domino nostro, inclito Domino nostro Ludouico, marchioni brandenburgensi, contra quoslibet et specialiter contra reuerendum dominum, dominum nostrum Ottonem, archiepiscopum magdeburgensem, ac alios ipsi resistere nitentes et conantes pro suis iuribus et nostris viribus, gwerra siue discordia inter ipsos mutuo durantibus, cum nostro castro aperto, uidelicet wesinburch ac cum omnibus aliis nostris, seruire volumus ac opem ac subsidium continuatum fideliter impertiri. In cuius etc. Dat. wesinborch, anno domini M^o. CCC^o. XXXVI^o. dominica post ascensionem Domini.

Nach dem Copialbuche des Geh. Kab.-Archives I. C. in quarto Bl. 63. — Gerken's Cod. I, 269.

DCCXXII. Markgraf Ludwig genehmigt die Herstellung der durch Ueberschwemmungen der Elbe verwüsteten Stadt Jericho und regulirt die Gerichtsverfassung derselben und des Landes Jericho, am 13. Mai 1336.

Anno domini M^o. CCC^o. XXX^o. sexto, feria secunda post ascensionem domini. Nos Ludovicus etc. attendentes instantem instantiam et requisicionem strenui militis domini Johannis de Buch, capitanei et secretarii nostri dilecti, ac etiam discretorum virorum ciuitatis sue Jerichowe ciuium indigenciam, ipsis ciuibus aliam ciuitatem nunc et in futurum, dum et vbi ipsi in ipso territorio compecierit, construendi, edificandi, muniendi quolibet ipsis necessario munimento, damus dedimus et concessimus presentibus liberam facultatem, Volentes ipsos ipsorum successores et heredes in loco nunc constructo vel in posterum construendo singulis et vniuersis gratiis, libertatibus, comodis, honoribus, iuribus et consuetudinibus frui et gaudere, quibus iidem ciues et incole in antiqua ciuitate, que per ablucionem decursus aque videlicet albis abluta est proch dolor et deleta, vsi sunt pariter et gauisi. Inhibemus etiam ipsis ciuibus presentibus et futuris firmiter et districte, quod si questionem super aliquo casu inter ipsos moueri contingeret, quod super huius casus vel casuum et sentenciarum appellacione, si alias inter se appellauerint, ciuitatem Borch de nouo non adeant nec frequentent, sed ipsa a ciuibus ciuitatis nostre Noue Brandenburg cum instantia requirant et postulent diffiniri, Qui id sub forma iuris et gratie, prout ipsis a magnificis principibus marchionibus Brandenburgensibus bone recordationis predecessoribus nostris indultum et concessum est, debebunt omnimode diffinire. Nobiles vero et rustici terre Jerichowe predictae, si eos propter iuris dubitacionem, siue per appellacionem sentenciam contingit postulare, hec nusquam alibi nisi a scabinis predictae ciuitatis Jerichow postuletur: et dubitans a sua dubitacione duos solidos denariorum Brandenburgensium et appellantum quilibet totidem sine contradictione quolibet erogabit. Pronuncians vero pronuncianda non secundum

antiquum modum nec secundum antiquam et reprobam terre consuetudinem, quam presentibus cassamus, reuocamus et irritamus, et singulariter pro eo, quod proles mortui patruelis hereditate aui, viuentis patruo vel matertera, sunt exhereditandi, quod iuri Imperiali et priuilegio Saxonico contrarium et etiam invalidum dicimus et censemus, Volentes etiam et mandantes, vniuersa iura terre prenotate tam nobilium quam rusticorum secundum curie nostre et priuilegii Saxonie iura per omnia in antea perpetuis temporibus obseruentur. Si uero a predictis scabinis propter errorem et ignorantiam iuris ad incolas ipsius terre predictae pertinentes appellari contingeret, tunc non vsquam nisi ad castrenses predicti castri volumus appellari et presidente ipsius castri domino vel eius officiato cum dictis castrensis terminetur, a quibus tamen partes pro ewulgatione sententiae nolumus amplius, nisi in octo solidos denariorum Brandenburgensium aggruari, Adicientes etiam, quod si domini vel castrensis sententia tamquam diminuta vel iniusta accusata fuerit vel conperta, non ad aliquem alium nisi ad nos marchionem Brandenburgensem vel ad nostrae curie Judicem volumus appellari, Volentes ipsam sententiam, dum equitatem cause sententiate plene cognouerimus, pronunziare vel per ipsum curie nostre Judicem pronunziari efficere et mandare. Et si quos iniquos et iniustos in sua sententia inuenerimus, ipsos volumus, contra quem iniuste processerant, si scabini ciuitatis fuerint, in quatuordecim solidos, castrenses uero si fuerint, in viginti octo solidos condemnari, Volumus etiam illum vel illos, cui vel quibus iniusticia per nos sentencialiter adiudicata fuerit tueri et quod ipsis expensarum pecunia cedat sine obmissione qualibet suffragari. Appellans uero, si iniuste sententiam accusasse inuentus fuerit, tantum vnoquoque iudicio tam in ciuitate quam in castro dabit, quantum ipsi si vicisset dedisse debuisset. Volumus etiam predictos ciues a theloneo in ciuitatibus gloriosi principis domini Ottonis de Nova Brandenburg, attauis nostri predicti felicitis recordacionis, in eius territoriis manere supportatos cum de ipsius fuerint parte et sicuti eorum more extitit ab antiquo. In cuius testimonium etc. Testes Her. comes de Henninberg, Johannes de Buch, Heinricus de kröchern, Beringerus helo, Johannes husner, Bombrecht pincerna, Laurencius de Grifenberg, Marscalcus de Pappinhein, offo de Luffowe, milites nostri cum aliis etc.

Nach dem Copialbuche der Vogtei Arnburg XL. — Fehlerhaft abgedruckt bei Ludwig, Reliq. Mspt. VII. 29 — 31.

DCCXXIII. König Johann von Böhmen schließt ein Bündniß mit dem Erzbischofe Otto von Magdeburg zum Beistande gegen den Markgrafen Ludwig von Brandenburg mit 100 Helmen und eben so viel Leichtbewaffneten, den 2. Juni 1336.

Nos Johannes, dei gratia Boemie Rex ac Luxemburgensis Comes, Ad uniuersorum notitiam volumus tenore presentium peruenire, Quod licet reuerendo in cristo patri domino Ottoni Magdeburgensi Archiepiscopo ex consanguinitatis linea proximaliter astringamur, Ita vt eum in suis oportunitatibus contra sibi iniuriantes protegere et defendere ex merito, ubi possumus, teneamur; Tamen ex Sinceritatis et dilectionis affectu, quo eum